

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XLV. De Secundo Paschate, Hoc Est, Quod Incidit In Secundum
Annum Ministerii Christi Continens Historiam De Piscina Probatica Et De
Aegroto Ibi Sanato, Johan. 5.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

procuravit. Deinde etiam non est cogitandum, quod Jesus obiter præteriens duo illa verba tantum dixerit, (*Sequere me.*) Quia enim Matthæus intelligit se vocari ut sequatur, non sicut vulgares auditores communiter sequebantur sed sicut videbat alios discipulos, relictis omnibus ita sectari JESUM, ut quotidiana & familiari institutione formarentur ad tradendam & propagandam aliquando illam doctrinam. Jesus igitur sine dubio pluribus verbis illi explicavit doctrinam de hac vocatione. Hæc ideo diligenter consideranda sunt: ne ex hoc exemplo Enthusiasticam & arreptitiam vocationem expectemus. Illustre autem exemplum est divinæ efficaciam verbi Christi in hac vocatione, & qualis sequatur obedientia, quando Spiritus sanctus verbum Christi scribit in corda credentium. Erat enim Matthæus dives, sicut postea splendidum convivium in domo sua instruit: habebat officium, quod annuatim quantum uberrimum reddebat: apud eos, qui cum imperio præerant, in magno habebatur pretio, sicut Cicero pro lege Manilia inquit: Publicanos olim apud Romanos habitos fuisse homines honestissimos & ornatisimos. Et pro Plancio inquit: Flos Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipubl. publicanorum nomine continetur, &c. Iam verò vocatur, ut relictis omnibus suis commoditatibus, Jesum pauperem, contemptum, & qui apud principes populi valde male audiebat, sequatur, quod idem est, ac si jubeatur, relictis sponte opibus, dignitate,

gloria & autoritate, inopiam, miseriam, ignominiam & exitium sectari. Non igitur Matthæi levitas vel stoliditas fuit, sicut Porphyrius calumniatur; sed divina efficaciam verbi Christi, quæ (quod carni & sanguini non tantum difficile, sed omnino impossibile esset) operata est in Matthæo talem fidem; Hunc Jesum esse verum Messiam, quæque omnes difficultates, quas videbat & jam propositas esse, & mox secuturas, superavit: ut Apostoli in hoc illustri exemplo discerent, ea, quæ doctrina Evangelii proponit & exigit, esse quidem apud homines impossibilia, sed Deo possibilia, idque per efficaciam verbi, ne cogitent se frustra sine fructu prædicaturos ea, à quibus caro & sanguis abhorret. Et re vera miraculum hoc in vocatione Matthæi tantum majus est, quam sanatio paralytici, quantum anima præstat corpore, & quantum difficilior est animæ quam corporis curatio: cum quidem Christus etiam dicat facilius esse camelum foramen acus transire, quam divitem in regnum cælorum ingredi, Matthæi 19. vers. 24. Cumque homines ad externum miraculum paralytici obstupuisent, proponit jam ipsis in spiritali paralyti Matthæi miraculum multo majus, quod statim relictis omnibus sequitur Christum. Quomodo verò Matthæus omnia reliquerit: & tamen postea habeat domum, & unde magnum convivium instruat, diximus in vocatione Petri & aliorum: de historia verò convivii suo loco dicemus.

CAPUT XLV.

DE SECUNDO PASCHATE, HOC EST, QUOD INCIDIT IN SECUNDUM ANNUM MINISTERII CHRISTI, CONTINENS HISTORIAM DE PISCINA PROBATICA ET DE EGROTO IBI SANATO, JOHAN. 5.

RATIO ORDINIS.

Matthæus, Marcus & Lucas eodem modo & ordine post vocationem Matthæi historiam de convivio ipsius subjungunt: ut primo intuitu videatur hæc ἀκολουθία historiarum in Harmonia servanda, sed post convivium Matthæi, Marcus & Lucas sine certa notatione continuationis ordinis recensent historiam de consecratione piscinarum. Matthæus verò certa & necessaria notatione ordinis, post convivium suum ponit resurrectionem filie primatis, & sanationem Hæmorrhousæ. Inquit enim ταῖς αὐτῆς ἀλλήλων αὐτοῖς: Loquente ipso, vel (cum hæc loqueretur cum ipsis, ecce venit primas, &c.) Sed illas duas historias Marcus & Lucas ponunt post reditum ex transfretatione Gadarena: Illam verò transfretationem Marcus disertè & notatione, exquisita dicit factam vespere ejus diei, quando per multas parabolas de semine Jesus locutus fuit, Marc. 4. v. 35. Nisi igitur cum Osiandro velimus ex iisdem historiis, & filia primatis & de Hæmorrhousa, item de transfretatione, apud Matthæum & reliquos Evangelistas, diversas facere,

non potest alia conciliatio inveniri, aut alia ratio ordinis constitui, quam quæ in tota antiquitate, inde à Tatiano Iustini discipulo usque ad Gerfonem, servata fuit, sicut supra de historia captivitatis Baptistæ eandem etiam rationem notavimus: quod scilicet Marcus & Lucas vocationem Matthæi suo loco & ordine describant. Ea verò occasione historica vocationis Matthæi per anticipationem attextant historiam de convivio ipsius, quæ tamen longè post, scilicet proximè ante resurrectionem filie primatis, & post reditum ex transfretatione accidit, sicut ostendimus. Matthæus verò, cum historiam convivii suo loco & ordine, scilicet post reditum ex transfretatione, & ante filiam primatis describat, quod ea occasione per recapitulationem præmittat historiam vocationis suæ, antea præteritam, & quæ vocationem suam proximè præcessit, sanationem Paralytici. Ex Matthæo igitur non potest colligi aut sumi, quæ historia post vocationem Matthæi in Harmonia collocanda sit. Ex his etiam, quæ dicta sunt, consequitur, post vocationem Matthæi, recto & vero

& verò historiarum ordine, in Harmonia non posse nec debere collocari historiam de convivio ipsius, sicut apud Marcum & Lucam illa subjungitur: longe enim post, interjectis multis aliis historiis eam accidisse ostendimus. Seposita autem & reservata ad suum in Harmonia locum historia de convivio Matthæi, Marcus & Lucas unanimi consensu subjungunt historiam de spicis vellicatis, quam Matthæus generali notatione c. 12. v. 1. describit, cumque res ipsa ostendat, Marcum esse monstratorem & ducem ordinis in historia Evangelica, & hoc loco Lucam sibi consentientem habeat, ratio igitur ordinis hactenus plana est. Sed videndum est, sitne apud alios Evangelistas aliquid, quod inter vocationem Matthæi, & inter confricationem spicarum interferendum sit. Hoc enim in constituenda Harmonia Evangelica observandum esse in prolegomenis ostendimus. Et apud Matthæum quidem nihil tale est: apud Johannem verò extat historia festi, Joh. 5.

Et quibus non tam conjecturis, quam manifestis notationibus Osiander post Irenæum & Rupertum eruditè deprehenderit & monstravit, festum illud Johan. 5. vers. 1. esse secundum Pascha ministerii Christi, sive quod incidit in secundum annum ministerii Christi, in prolegomenis explicatum est. Inquirendum autem est, quomodo distributio ordinis historiarum apud reliquos Evangelistas, ad secundum illud festum Paschatis, Johan. 5. vers. 1. ita accommodari possit, ut constituatur, quo loco & inter quas reliquorum Evangelistarum historias, secundum illud festum Paschatis, Joan. 5. v. 1. in Harmonia tanquam suo debito & iusto loco inferendum sit: hoc est, quæ historiæ apud reliquos Evangelistas & quo ordine proximè præcedant, usque ad secundum illud festum Paschatis, Johan. 5. & quæ proximè post Pascha illud collocandæ sint. Quando autem inventum fuerit, quæ historiæ apud reliquos Evangelistas proximè post Pascha illud, Johan. 5. secutæ sint: tunc eadem opera simul inventa est ratio de historiis Pascha illud præcedentibus, & quo loco inter reliquorum Evangelistarum historias in Harmonia Pascha illud, Johan. 5. collocandum sit. Et in Marco quidem hæc vestigia notationum extant, de vellicatis & confricatis satorum spicis, quod juxta legem Lev. 23. v. 10. non ante, sed post Pascha fieri solebat.

Lucas verò cap. 6. vers. 1. notatione Sabbati secundo primi, ordinem illum planius & expressius monstrare voluit. Quod si deprehensum & monstratum fuerit, historiam illam de confricatis spicis proximè post festum Paschatis Johan. 5. v. 1. collocandam res tota quam inquirimus plana erit.

Explicandum igitur est, quid intelligendum sit per Sabbatum *δευτερόπρωτον*. Quia enim nova compositio: cum quidem talis appellatio Sabbati in aliis Scripturæ exemplis non inveniatur, non eodem modo ab interpretibus explicatur. Nos primo varias aliquot opiniones recitabimus: deinde, quæ sententia ad veritatem propius accedere videatur, ostendemus.

Hieronymus ad Nepotianum narrat, se ex præceptore suo Gregorio Nazianzeno aliquando quævisse, quid sit Sabbatum *δευτερόπρωτον* apud

Lucam: Nazianzenum verò, cum acumen ingenii in Hieronymo vereretur, & quid certi aut solidi responderet non occurreret, ita elusisse questionem, ut diceret: Docebo te, apud populum, ubi, acclamantibus & applaudentibus cunctis, velis nolis cogeri nobis assentiri. Atque ideo Syrus etiam vocem illam non reddidit: sed simpliciter dicit in Sabbato. Quidam ex Latina compositione ita interpretantur: secundo primum, hoc est, quod primitus seu proximè secundum fuit, post illud Sabbatum quo præcedentia gesta sunt: vel quod primum occurrit post secundum, hoc est tertium. Sed præcedentes historiæ apud Lucam non sunt per Sabbata distributæ & notatæ, quasi proximè præcedens historia facta fuerit Sabbato: hæc verò Sabbato sequente accidit. Alii intelligunt *δευτερόπρωτον* quod fuerit non principale aut primariò celebre Sabbatum, qualia erant septimo quoque die; & in solennibus festivitatibus, sed secundariæ seu minores festivitates, ut novilunii. Verum historia ostendit fuisse tale Sabbatum, in quo non licebat operari aliquid facere, ut spicas confricare. Sunt qui ita interpretentur: ut Sabbatum intelligant, de ipsis solennioribus festivitatibus in Lege Mosis, & Pascha sit *πρωτον* Sabbatum; Pentecoste *δευτερόπρωτον*; Festum tabernaculorum sit *τρίτον πρωτον*. Et prima quidem dies Azymorum vocatur Sabbatum, item dies expiationis, item prima & octava dies in festo tabernaculorum vocatur Sabbatum, Levit. 23. vers. 11. 15. 24. 32. sed nescio, an totum aliquod festum collective in Scriptura nominetur Sabbatum. Certe Levit. 23. vers. 3. & 4. & 38. Sabbatum excipitur à festis illis solennioribus, ubi textus inquit: Hæc sunt feriæ Domini, in quibus offeretis præter Sabbata Domini. Ita etiam 4. Reg. 4. vers. 23. & Colof. 2. vers. 16. Sabbatum à reliquis festis distinguitur. Et festum Pentecostes ad historiam illam Lucæ, de vulvis scilicet & confricatis spicis non convenire, postea ex Lege ostendemus. Sabbatum igitur non significat collectivè integrum festum, sed certam aliquam diem, & inter ordinaria Sabbata, quæ septimo quoque die celebrantur, non fuit talis ordo, ut aliud esset primum, aliud secundum: erant enim celebritatis æqualis. Et quod certius argumentum est, Matthæus & Marcus simpliciter dicunt *τοῖς αἵθεσσι*, quod non potest intelligi de ordinario Sabbato: sed de diebus solenniorum festivitatum. In magnis enim festivitatibus, quæ pluribus diebus constabant, omnes dies vocabantur Sabbata, sicut ex historia resurrectionis Christi colligitur, ubi vocatur prima Sabbatorum, & inter illa Sabbata ordo erat & numeri & sanctitatis. Prima enim & ultima dies erant æqualis celebritatis: intermediis verò dies non erant tam celebres sanctitatis. Postea intervallum inter duo Sabbata hæc, quod aliàs hebdomas seu septimana dicitur, vocarunt Sabbatum, sicut Hieronymus reddidit Levit. 23, 15. & Luc. 18. v. 12. Jejunio bis in Sabbato. Dies etiam septimanæ cujusque per Catachresin ita cœperunt numerari prima, secunda, &c. Sabbati: sicut Judæi nunc numerant. Et 1. Cor. 16. v. 2. vocatur prima Sabbatorum dies proximè sequens sabbatum, in quacunque septimana. Sed hæc significationes ad hunc locum non pertinent. Illa

Illa igitur sententia verior est, quæ sabbatum *δευτερόπρωτον* intelligit, de certo aliquo die in uno ex magnis illis & celebrioribus festis anni. Theophylactus hanc sententiam ita explicat: quando prima dies alicujus festi incidebat in parasceven, hoc est in sextum diem, tunc altera mox sequente, quæ septima erat, ordinarium sabbatum ratione septimæ diei celebrandum erat. Atque, ita inquit, prima dies illius festi vocabatur *πρωτον* sabbatum: Altera verò *δευτερόπρωτον*, propterea quia ordinarium sabbatum septimæ diei, licet ordine tunc secundum esset, dignitate tamen primum erat. Et hoc existimat velle illam compositionem vocabuli *δευτερόπρωτον*. Et ad Phariseorum sanè calumniam non malè convenit. Sed hanc sententiam Hebraicarum consuetudinum periti reprobant. Burgensis enim annotavit, peculiari constitutione post captivitatem Babylonicam cautum fuisse, ordinem de incoatione magnorum festorum ita esse instituendum, ne duo dies celeberrimi, in quibus nihil operari licebat, conjungerentur, aut statim absque intervallo se insequerentur: sed si hoc animadverteret futurum, ut prima dies festi transferretur. Et inde affirmant, à soluta captivitate Babylonica, primam diem alicujus festi, quæ celebratissima erat, nunquam celebratam fuisse in parasceve, ut mox ordinarium sabbatum insequeretur. Hac igitur Theophylacti interpretatione seposita, tres in summa erunt sententiæ de sabbatho secundo primo.

Prima est receptissima. In magnis festis prima & ultima dies æquè erant celebres & sanctæ, ut in Paschate septima dies, Lev. 23. v. 8. in festo tabernaculorum octava. Num. 29. 35. intermediis verò diebus aliquid licebat operari suo modo. Quia igitur duo erant in illis festis sabbata requietionis: quorum alterum, ultimo scilicet diei ordine quidem secundum erat, sanctitate verò celebrationis æquale erat primo, existimant Lucam hanc sententiam nova compositione *δευτερόπρωτον* voluisse exprimere. Moses enim Lev. 23. v. 11. & primum & ultimum diem vocat sabbatum. Et quia ultimus dies pari celebratitate erat observandus cum primo, & primo per omnia erat similis, primumque per omnia sic referebat, ut esset quasi primum sabbatum, secundò repetitum, atque idè *δευτερόπρωτον* secundo primum.

Secunda sententia etiam vera potest esse. Quando enim prima dies festi, quod vel septem vel octo diebus constabat, incidebat non in ipsum sabbatum septimæ diei, sed in aliquem alium diem, tunc tria fiebant sabbata quietis in uno festo: prima scilicet & ultima dies, & præterea inter primam & ultimam diem incidebat ordinarium sabbatum septimæ diei. Id quod in festo tabernaculorum, quia octo diebus celebrabatur, necessariò semper fiebat: Ordinarium igitur illud sabbatum dignitate primum, quia ordine tunc secundum erat, post primum scilicet, & ante ultimum diem festi rectè potest vocari *δευτερόπρωτον*. Chryostomus Homil. 40. in Matth. *δευτερόπρωτον* intelligit tale sabbatum in quo ratio oculi seu quietis duplex erat: id quod tunc fiebat, quando prima & ultima dies, quæ celebratissima erant alicujus festivitatis, incidebant in septimum hebdomadæ

diem, quod ordinarium erat sabbatum. Ita enim duplex ratio sabbati erat in uno die. Et talis dies in historia passionis vocatur magnus dies sabbati. Et in hac historia potuit hoc fieri in ultimo die Paschatis, qui in septimum diem hebdomadæ incidit.

Tertia sententia est Stapulensis, quam etiam Lutherus sequi videtur, & inde sumpta est. In magnis illis festis etiam intermediæ dies, inter primam & ultimam, dicebantur sabbata, Matt. 28. v. 1. & hoc erat discriminis, quod non erant tam celebres, sicut prima & ultima, sed licebat in illis aliquid operari. Opinantur itaque diem, quæ proximè post primam, quæ sanctissima erat, sequebatur, vocari *δευτερόπρωτον*: quasi quæ sabbatum quidem sit, sed non æque sanctum, & celebre sicut præcedens. Ut ratio vocabuli sit, quod sit secundarium sabbatum collatione ad primum: vel ut simpliciter ordinem notet, quasi secundum post primum. Et Stapulensis arbitratur, id quod Lucas mox dicit, *ἐν ἑτέρῳ ἢ ἄλλῳ ἡμέρῃ* in altero sabbato, ita intelligendum esse, ut sit dies proximè sequens τὸ *δευτερόπρωτον*, hoc est tertia in ordine, à prima die festi. Sed nescio, an descriptioni Lucæ hæc interpretatio satis conveniat. Diebus enim illis intermediis aliquid licebat operari, sicut manifestè constat. Mulierculæ enim prima sabbatorum emunt aromata, & veniunt uncturæ corpus Jesu, Marc. 16. v. 1. Lucas verò scribit, sabbatum illud secundo primum tale fuisse, in quo evulsio & confratio spicarum quarundam, pro grandi violatione sabbati reputabatur. Et postea Lucas ipse cap. 24. v. 1. diem illam sequentem post magnum sabbatum, vocat non *δευτερόπρωτον* sed *τὴν μίαν* sabbathorum. Omnino igitur tale sabbatum illud secundo primum fuit, in quo juxta Legem nihil operari licebat. Ejus autem tria sunt genera. Sabbatum scilicet ordinarium septimæ: cujusque diei: deinde prima & ultima dies in magnis festis. Vocabulum verò *δευτερόπρωτον* indicat, non intelligendum esse primam diem festi: nec sabbatum, quod extra magna festa septimo semper die celebrabatur. Erit ergò vel ultima dies festi, vel sabbatum ordinarium, quando incidebat in dies intermedios magni alicujus festi: vel quando prima vel ultima dies festi incidebat in ipsum sabbatum. Et hoc arbitror satis manifestè demonstratum esse.

Ipsa compositio τὸ *δευτερόπρωτον* in Græcis interpretibus, quod ego sciam, non extat. Ita verò loquuntur Gen. 41. v. 43. 2. Paral. 35. v. 24. Currus seu *ἀρμα τὸ δευτερον ἢ αὐτῶν*, currus secundarius post regium. Judith 2. v. 4. Holophernes *δευτερον* secundus post regem. Tob. 1. v. ult. Rex constituit illum *ἐκ δευτέρων*, proximo loco dignitatis post regem. Item Jerem. 52. v. 24. vocatur Sacerdos *πρωτον* primarius, & *δευτερον* inferioris dignitatis. Et Esther. 13. v. 3. *δευτερον ἢ βασιλευσιν γέρας*, hoc est, secundo & proximo loco dignitatis post regem. Et hac ratione compositio *δευτερόπρωτον* significat sabbatum quod dignitate inferius esset primo: sicut Lev. 23. v. 11. Græci dicunt. Sed historia de spicis ostendit, non fuisse sabbatum celebritatis minoris aut inferioris. Quia igitur prima dies in magnis festivitibus, quæ sanctissima & celeberrima erat, Græcis dicitur *πρωτη*, voluit Lucas nova compositione notare alteram diem,

diem, ultimam scilicet, quæ æquè sancta & celebris erat sicut prima: idè non dixit, *δευτερον πρωτη*, sed *δευτερον πρωτον*. Et ad hanc sententiam convenit illa ratio significationis, sicut vocatur *δευτερον ομιον*, Iosu. 8. v. 32. Deut. 17. v. 18. non quòd sit alia Lex dignitate inferior: sed quòd prior lex à Deo scripta secundariò seu iterato sit repetita & conscripta à Mose eadem, & dignitatis æqualis cum priori à Deo scripta. Porro in Ebraisimo *חגג*, secundum significat etiam quòd duplum est, ut Ier. 16. v. 18. fermè talis est compositio, primum secundum, primum hoc est duplo, Ierem. 17. v. 18. Secunda contritione, id est, dupla, conterere eos. Ita *δευτερον πρωτον* significabit Sabbatum, cujus celebritas respectu primi dupla erat: id quòd ad Chrysofomi sententiam accedit.

Hoc igitur certum est, Sabbatum secundo primum ad unum aliquod ex magnis & solennioribus festis pertinere: id quòd Matthæus & Marcus etiam indicant, cum diem illam nominant in *Sabbatis*, quando scilicet plures dies festi concurrebant. Sed quæstio adhuc est, quòdnam fuerit illud festum, ad quòd Sabbatum hoc secundo primum Luc. 6. v. 1. referendum sit? Quòd autem festum tubarum & propitiationis non fuerit, inde colligitur: quòd hæc festa unico tantum die constabant. Marcus verò in hac historia nominat Sabbata, & vocabulum *δευτερον πρωτον* respectum indicat ad plures dies. De festo tabernaculorum etiam non potest intelligi, quia discipuli evelunt & confricant spicas: quòd mensi Septembri, in Palæstina præsertim, nullo modo convenit. Reliqua igitur adhuc sunt duo festa: Paschatis & Pentecostes. Et de Pentecoste quidem conantur aliqui hanc historiam interpretari, quia Lev. 23. v. 16. Pentecoste vocatur solennitas Messis primitivorum, sicut & Num. 28. v. 26. sed res plana est, si descriptiones festorum diligenter considerentur. Nam Lev. 23. v. 15. secunda die in festo Paschatis primitiæ spicarum offerebantur: & tunc Deut. 16. v. 9. falx mittebatur in segetes. Textus etiam Lev. 23. v. 10. dicit. Cum messueritis segetem, offeretis manipulum spicarum, & addit v. 14. Nec tosta nec cocta comedetis ex segete, priusquam oblatio spicarum facta sit altera die Paschæ. Hæ descriptiones quasi intento digito monstrant, intelligendum esse festum Paschatis in historia Luca. Post oblationem enim spicarum, licebat eas confricare, & grana ita manducare. Hæc plana sunt. Verum obstare videtur, quòd Pentecoste vocatur festum messis primitivorum, Lev. 23. v. 17. sed & huius objectionis solutio facilis est. In festo enim Pentecostes, primitiæ non spicarum, sed panes ex novis frugibus messe jam collectis offerebantur: & sicut Rabini scribunt: Panes propositionis tunc ita mutabatur, ut ex novis frugibus fierent. Non ergò post festum Pentecostes spicæ primum maturescentes in Palæstina inveniabantur. Mensis enim Paschatis Abib appellationem habet à spicis, Exod. 9. v. 31. Lev. 2. v. 14. Hæc vero non sunt æstimanda ex ratione messis in nostris terris. Palæstina enim &

Ægypti longè alia ratio est. Imprudenter itaque fecit Pagninus, qui mensem Abib voluit respondere nostro Julio, ut scilicet ad idem tempus referri possit, messis in Palæstina & in nostra Europa.

Unum verò adhuc obstat, scilicet, quòd dissimulata esse videantur, quæ de festo Paschatis, Lev. 23. v. 10. & Deut. 16. v. 9. dicuntur: Cum missa falce messueritis segetem. Et quòd Lev. 23. Pentecoste vocatur festum messis primitivorum. Si enim statim post Pascha falx mittitur in segetem, quomode Pentecoste quæ post sex hebdomadas absolutum Pascha insequitur, vocatur festum Messis primitivorum. Hæc obiectio aliquandiu me torlit: tandem verò deprehendi sententiam, quam non dubito veram esse. Duplex enim Messis fuit in Palæstina. Quia diversa genera frumentorum, non eodem tempore maturescebant: id quòd manifestissimè colligitur ex loco, Exod. 9. v. 31. & 32. Ibi enim paulò ante exitum Ægypti, hoc est, paulò antè Pascha, cum plaga grandinis Ægypto immitteretur, textus dicit: Hordeum jam erat in spica, idè grandine percussum est: Triticum verò & far, quia ferotina sunt, vel quia adhuc spicas occultabant, utrumque enim Hebraicum vocabulum significat, non sunt percussa. Et Exod. 34. vers. 22. textus dicit: Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum, messis tuæ triticeæ. Prima igitur Messis hordei, & similibus frugum cepit statim post Pascha. Spicæ enim in festo Paschatis jam maturescebant & apponebantur. Altera verò Messis tritici & farris cepit circa festum Pentecostes: ita ut die Pentecostes non spicæ vel grana, sed panes ex novis frugibus Messis triticeæ offerentur. Sabbatum igitur secundo primum Luc. 6. v. 1. quia tunc spicæ evellebantur & confricabantur, de festo Paschatis intelligendum est. In descriptione enim festi Pentecostes tantum unius diei mentio fit, Matthæus verò & Marcus in hac historia nominant sabbata.

His ita constitutis, id quòd quærebamus manifestum est: scilicet ex historia Luc. 6. v. 1. de sabbato secundo primo deprehendi, quo loco in ordine historiarum apud reliquos Evangelistas collocandum sit secundum illud Pascha, Ioh. 5. v. 1. ita scilicet, ut mox post Pascha, Ioh. 5. v. 1. in Harmonia sequatur historia de confricatis spicis, Marc. 2. v. 23. & Luc. 6. v. 1. ut primo die Paschatis & sequentibus facta sint ea, quæ Ioh. 5. v. 1. & sequentibus describuntur. Ultimo verò die Paschatis, quando Christus forsan Hierosolymis discessit, acciderit historia de spicis, Luc. 6. v. 1. Atque inde colligitur, quæ historia apud reliquos Evangelistas Pascha illud Ioh. 5. v. 1. in Harmonia præcedere debeant. Atque ita inventus est locus, qui in Harmonia Evangelica attribui debet historiae quinti capitis apud Joannem. De hoc verò ordine nullo modo certi aliquid constiteri possit, si non historia de confricatis spicis, & notatio sabbathi secundo primi, viam monstraret & patefaceret.

HISTORIA SECUNDI PASCHATIS, QUOD INCIDIT IN SECUN-
DUM ANNUM MINISTERII CHRISTI, DE PISCINA BETHES-
DA, ET DE ÆGROTO CIRCA ILLAM A CHRISTO
SANATO, JOHAN. 5.

1. Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.
2. Ἔστι δὲ ἐν ταῖς Ἱεροσόλυμοις ἐπὶ τῆ προβατικῆς κολυμβήθρα ἢ ἐπιλεγομένη ἑβραϊσὶ Βηθεσδα πέντε σοῦς ἔχουσα.
3. Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, κελῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν ἰσὺδατοκίνησιν.
4. Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ καὶ ἐταράσσει τὸ ὕδωρ, ὃ ἂν πρώτος ἐμβῶς μετὰ τῆ παρασχῆν τῆ ἰσὺδατοκίνας, υγιὴς ἐγένετο, ὃ δὲ ἴσχυε κατελεγεῖτο νοσήματι.
5. Ἦν δὲ τις ἀνδρῶν ἐκεῖ τριάκοντα καὶ ὀκτώ ἐτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ.
6. Τῶν ἰδῶν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γινὼς ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ· Σέλις υγιὴς γένεσθαι;
7. Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν· κύριε, ἀνδραπὸν ἔκ ἔχω, ἵνα ὅταν παρασχῆ τὸ ὕδωρ, βάλλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν, ἐν ᾗ δὲ ἔρχομαι ἐγώ, αἰχμαλωτῆς ἐπιπέσει ἐμὸν κατὰ βῆμα.
8. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἔγειραι, ἄρον τὸν κραββάτον σου, καὶ περιπάτει.
9. Καὶ εὐθέως ἐγένετο υγιὴς ὁ ἀνδρῶν, καὶ ἤρε τὸν κραββάτον αὐτοῦ, καὶ περιπάτει. Ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.
10. Ἐλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι τῷ τεθροονημένῳ· σάββατον ἐστίν, ἃς ἔχεις σοὶ ἄραι τὸν κραββάτον.
11. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς· ὁ ποιήσας με υγιῆ, ἐκείνός μοι ἔπειν ἄρον τὸν κραββάτον σου, καὶ περιπάτει.
12. Ἠρώτησαν ἂν αὐτὸν· τίς ἐστὶν ὁ ἀνδρῶν; ὃ ἔπιπῶν σοὶ ἄρον τὸν κραββάτον σου, καὶ περιπάτει.
13. Ὁ δὲ ἰαθεὶς, καὶ ἴδει τίς ἐστίν, ὃ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν· οὐκ ἴσχυεν ἰδέσθαι ἐν τῷ τόπῳ.
14. Μετὰ ταῦτα εὗρισκεν αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ λέγει αὐτῷ· ἴδε υγιὴς γέγονας, μηκέτι αμαρτάνεις, ἵνα μὴ χειροῦντί σοι γένηται.
15. Ἀπήρτην ὁ ἀνδρῶν καὶ ἀνήγγελε τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι Ἰησοῦς ἐστίν, ὃ ποιήσας αὐτὸν υγιῆ.

1. Post hac erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam.
2. Est autem Hierosolymis ad probaticam piscina, que nominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens.
3. In his jacebat multitudo magna languentium, cecorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motum.
4. Angelus enim descendebat certo tempore in piscinam, et turbabat aquam. Itaque qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus fiebat, à quoquodam detinebatur morbo.
5. Erat autem quidam homo illic, qui triginta et octo annos morbo tenebatur.
6. Hunc cum vidisset Jesus decumbentem, et cognovisset, quod jam multum temporis morbo teneretur, dicit ei: Vis sanus fieri?
7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Sed interim dum ego venio, jam alius ante me descendit.
8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabbatum tuum, et ambula.
9. Et statim sanus factus est homo ille, et substulit grabbatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.
10. Dicebant ergo Judæi ei qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum.
11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, is mihi dixit, tolle grabbatum tuum, et ambula.
12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabbatum tuum, et ambula.
13. Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim subduxit se, quod turba esset eo in loco.
14. Postea reperit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es: ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat.
15. Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis, quod Jesus esset, à quo sanatus fuisset.

Periocha hujus Historie.

JOANNES simpliciter nominat festum Judæorum, quod verò intelligendum sit Paschatis festum in prolegomenis abundè monstratum est. Non autem indefinitè, sed per Antonomasiam Joannes inquit: (Erat ἑορτὴ Ἰουδαίων.) Hoc enim modo quando simpliciter sine aliqua adjectione festum nominatur, de festo Paschatis sæpè usurpatur, Matth. 27. v. 15. Circa festum, Præsidem oportebat unum ex vincis dimittere. Joh. 4. v. 45. Viderant, quæ Hierosolymis fecerat in festo. Ita etiam Joh. 11. v. 5. 6. & 12. v. 12. usurpatur. Et Joan. 6. v. 4. videtur quasi explicatio extare hujus loci. Propè erat Pascha festum Judæorum. Ratio verò Antonomasiæ est: quia Pascha est principium festorum, & præcipuum inter festa. Cum enim

mandatum esset, ut ter in anno omne masculinum appareret coram Domino, Exod. 23. v. 17. in reliquis duobus festis, Pentecoste scilicet & festo tabernaculorum, cum illis, qui longè à Jerusalem distiti erant, post captivitatem Babylonicam dispensabatur; sed de festo Paschatis mandatum illud non relaxabatur: ut cui præ cæteris prærogativa quædam tribuenda videbatur, & propter memoriam beneficii præteriti, & propter significationem futuræ redemptionis.

Ad hoc igitur festum Jesus ascendit Hierosolymam, sicut & ad reliqua festa tempore ministerii sui plerunque ascendit. Chrysostomus ejus rei tres causas recitat: 1. Ut ipse ita Legi pro nobis subjectus, ab ejus servitute nos redimeret. 2. Ne

videretur adversarius Legis, quasi venisset solvere Legem; sed ut ostenderet se velle umbras & figuras ejus implere. 3. Quia tunc ad festa Hierosolymam confluebant ex omnibus, non Judææ tantum sed totius terrarum orbis partibus Judæi, profelyti & religiosi. Illa occasione Christus uti voluit, ut & plures institueret, utq; fama de doctrina & miraculis suis ita latius spargeretur.

Acta verò illius festi tria continent capita: miraculum scilicet, disputationem de Sabbato, & insignem concionem, quæ descriptur Joannes, præmittit narrationem de natatoria Bethesda, quæ ut rectius intelligi possit, primum vocabula quædam explicabimus. Deinde ipsam narrationem declarabimus. Tertio ostendemus doctrinam. Hieronymus sicut & vetus interpres videtur simpliciter sine præpositione legisse, (*erat Hierosolymis probatica piscina.*) utq; Hebraica appellatio conveniret Græco vocabulo, Hieronymus Etymologiam ita constituit: legit in Joanne non Bethesda, sed Bethesda & propter pronunciationem Thau striduli, refert *σίγμα* ad Beth: hoc modo ut altera dictionis hujus pars sit Eda, quam hoc loco censet mutilatam esse & non integrè scriptam: sed literam Romissam in fine. Eder enim per Ain *אין* significat gregem & scribendum fuisse Bethfeder, ita erit domus gregis, & piscina probatica idem erit. Sed Joannes scribit, non Bethesda: sed *βηθשא*. Hieronymus igitur, Cyrillus, Chrysostomus & Theophylactus in Nominativo legunt: (*Est Hierosolymis probatica piscina.*) Sed jam in Græcis exemplaribus legitur addita præpositio, (*ἐν τῇ πρὸ βατικῇ*) & subaudiendum est vel *ἀγρῶν* vel *οἴκων*: ut piscina illa fuerit vel apud forum, ubi vendebantur, vel apud domum, ubi servabantur oves pro sacrificiis. Et hoc notandum est, sicut supra Joan. 2. diximus, quòd antiquitus fuerit extra templum locus constitutus, pro emendis iis, quæ ad sacrificia pertinebant, Deut. 14. v. 26. Postea in ipsum atrium templi translata fuit hæc nundinatio, hac opinione, quasi sanctiores essent victimæ, quæ ibi emerentur. Hieronymus de locis Hebraicis inquit: Bethesda piscina in Hierusalem, quæ vocabatur pecualis: ostendunturq; gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri solet. Alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lavari à sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen *πρὸ βατικῇ* accepit. Brocardus ita scribit. Ab area templi contra Aquilonem est porta vallis, ducens in vallem Josaphat: & hæc etiam vocatur gregis, quòd per eam introducebantur greges immolandi in templo. Porro intrantibus portam gregis ad sinistram occurrit piscina probatica, in qua Nathinæi lavabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas. Probatica igitur est nomen loci, in quo vel circa quem fuit piscina, Hebraicè dicta Bethesda. Vetus interpres legit per Zain Bethsaida, domum piscationis, quia *κολυμβήθρα* reddita erat piscina. Sed vocabulum *πρὸ βατικῇ* ostendit, non ad capiendos pisces, sed ad pecudes, sive potandas, sive ablendas, piscinæ hujus usum fuisse. Commodissima igitur est Etymologiæ ratio, si legatur per Schin *שין*, & tantum in punctis & in pronunciatione erit discrimin aliquod. Quòd enim Hebræi le-

gunt, Esed, hoc Syriacè pronunciatum Esda. Significat autem effusionem meatuum, seu fluxum aquarum, idque ad hanc piscinam accommodari potest, quòd scaturigo aquarum ejus non fuerit loci illius propria, sed aliunde petita in stagnum illud effusa. Idq; hoc loco duobus modis intelligi potest: 1. Cùm templum in loco editiori situm esset, quod paulò inferius fuerit hæc piscina, in quam aqua pluvia ex tectis & monte templi tanquam in cisternam conflueret. Et Hieronymus narrat Hierosolymis ostendi locum, qui hybernis pluviis ita impleatur, ut sæpe exundet. 2. Potest & hæc ratio significationis esse. Templum situm erat in monte, ubi tamen propter victimas multa aqua opus erat. Potest igitur fieri, quia intra urbem multæ copiosæ erant piscinæ, quòd aqua inde per canales deducta in loco propè templum per Siphones effusa piscinam illam effecerit. Lutherus deducit ab Hefed *הפד* & appellationem refert non ad piscinam, sed ad porticum, quæ propter decumbentes agrotos extractæ ibi erant: quasi domus misericordiæ seu beneficentiæ, *Ein Hospital*. Non enim in piscina jacebant agroti, nec deambulatoria erant in ipsa piscina: sed ad piscinam extracta erat domus, habens porticus. Inde quidam utrumque legunt in Dativo *ἐν τῇ πρὸ βατικῇ κολυμβήθρα*. Apud piscinam probaticam erat domus dicta Bethesda. Syrus habet *בית שן* domum benignitatis, vel misericordiæ, & appellationem refert ad ipsam piscinam, quòd Deus benignam suam beneficentiam in curandis morbis in piscina illa populo exhiberet. Domum enim pro loco ponere usitatum est: sicut domum feminis vocant agrum.

Porro *κολυμβήθρα* propriè non est piscina, ubi pisces vel capiuntur, vel ferventur: sed propriè significat lavacrum seu natatorium: sicut Grammatici dicunt *κολυμβήθρα ὁ ἔλετρον*. Verbum enim *κολυμβῶν* propriè significat natare, & de urinatoribus dicitur. Piscina etiam Latinis simpliciter pro natatorio usurpatur. Usus igitur hujus piscinæ vocabulum *κολυμβήθρα* ostendit, ut scilicet pecudes, quæ ibi ad sacrificia servabantur, in ea vel portarentur, vel mergendo abluerentur: vel quòd verisimilius est, ut victimæ mactatæ ibi à Nathinæis abluerentur. Syrus habet vocabulum *מגן* quòd abluitionem significat; & simpliciter vocat locum abluitionis. Memorabilis autem est historia, quam de hac piscina Joannes scribit. Non fuerunt thermæ: hoc est, non tales aquæ quæ sua natura haberent virtutem sanandi morbos: sed ex alio vulgari loco, per canales aqua eò deducebatur. Angelus verò certò tempore in piscinam illam descendebat. Qualis fieret species, qua descensio & præsentia Angeli representabatur, Evangelista non notavit. Necessè autem est: tale visibile aliquod Symbolum fuisse, quo homines notare possent, a quam non turbine aliquo non causa aliqua occulta in ipsa piscina latente, turbari: sed è cælo Angelum demitti usque in ipsam piscinam. Et quando visibile illud Symbolum in ipsam piscinam descendebat, tunc aqua, quæ alioqui stabat, non tantum in superficie commovebatur: sed à fundo usque turbabatur. Sicut Job. 41. v. 22. de Leviathan scribitur, Fervescere facit profundum, quasi ollam, & sicut unguenta bulliet. Syrus habet verbum *מגן*, quòd

quod significat commotionem cum tremore. Experimento autem deprehensum erat, quicumque primus in turbatam illam aquam ingrediebatur, quocumque morbo detinebatur, quod statim sanus revertebatur. Si verò post primum unus aut alter aut plures piscinam illam intrarent, nullam planè sanationis virtutem sentiebant.

Porro Angelus non quotidie descendebat, & aquam ita turbabat, sed (*καὶ καὶ*) Cyrillus hoc ita interpretatur, quod in magnis festis turbatio illa aqua solita fuerit fieri: ut in magna frequentia non indigenis tantum, sed & peregrinis illustra gratia Dei erga semen Abrahamæ vestigia monstrarentur. Et potest hoc accomodari quod Gen. i. v. 14. scriptum est: Luminaria erunt *eis* *καὶ* *καὶ*, quod de statis festis interpretantur. Sed sine dubio *καὶ καὶ* simpliciter est antithesis ejus, quod semper & quotidie fit: & sæpè significat certum & statutum tempus. Ita enim Græci loquuntur *eis* *καὶ* *καὶ*, Esd. 10. v. 14. Neh. 10. v. 34. & Exod. 13. v. 10. Potest etiam significare incertam quantitatem, aut non statutas vices intervalli temporis, sicut Gen. 18. v. 10. *καὶ καὶ* à quibusdam exponitur. Et hanc significationem videtur circumstantia porticum flagitare. Quia enim experientia docuerat, unum tantum, qui primus turbatas aquas contigisset, sanari, & quia tempus turbationis incertum præfieri non poterat: curantur ergo se eò deportari, ut in propinquo adessent, quando aqua turbaretur. Ne verò ibi circa piscinam decumberent, expositi ventis, imbris, æstibus, & frigoribus: cœperunt extrui porticus. Cùm verò multitudo ægrotorum in loco illo cresceret, multiplicatæ sunt porticus, ut quinque fierent: *σοῦ* enim, sicut Varinus inquit, significat *καμαράς καὶ πύλαι τοῦ θεοῦ*. Est igitur *σοῦ* porticus in longum ædificata, sub qua contra injurias cœli potest quis ambulare, sedere & aliquid reponere. Nam & granaria Græci appellant *σοῦ*. Ephesi extra urbem usque ad templum Dianæ dicitur fuisse *σοῦ* ambulacrum. Et inde potest intelligi quid sit *σοῦ*: Syrus vocat umbraculum. Hæc est descriptio piscinæ Bethesda.

Quod si de doctrina quaritur, potest esse generalis commonefactio: quod sicut per malos angelos imittuntur morbi, Pl. 78. v. 49. Ita per bonos Angelos multa monstrantur & dispenfentur ad restituendam bonam valetudinem remedia. Inde enim Raphael vocatur medicina Dei. Quia verò opera illa Dei assiduitate vilescunt, & in reliquis medicationibus & in thermis; Ideò Deus extraordinarium hoc miraculum in aquis piscinæ Hierosolymitanæ edere voluit ut homines admonerentur, ne ea quæ in thermis, quales multas referente Plinio & Josepho Palæstina habuit, salubriter sunt, solis causis physicis tribuerent, sed Dei operationem per ministerium angelorum agnoscerent & celebrarent. Hæc generalis est doctrina seu commonefactio. Sine dubio autem singulare aliquid tota hæc historia significavit. Nolo autem recensere varias allegorias. Optima enim explicatio est, quæ non procul petitur: sed ex rebus ipsis, & ex ipsis historiæ circumstantiis sumitur. Valde memorabilis autem est historia, & digna diligenti tum annotatione tum observatione. Sed nec in Prophetarum libris, nec in illis, qui post Prophetarum tempora scripti, in

Harm. Tom. I.

Bibliis titulo Apocryphorum extant, vestigia ulla reperiuntur, hujus tam memorandi miraculi. Temporibus igitur Prophetarum, & post Prophetas, quousque historia Apocryphorum pertingit ad annos scilicet 150. ante Christum, miraculum illud sanationis in piscina Bethesda, verisimile est non extitisse. Imò nec apud Philonem, nec apud Iosephum, hujus miraculi mentio fitur, quod Lyra sentit, judicem esse verisimilimum, cœpisse scilicet tunc, cùm tempus revelationis Messia appropinquaret, & post glorificatum filium hominis desivisse. Ex Scholasticis quidam dicunt tunc cœpisse, cùm Christus in Jordane baptizatus, aquas sanctificasset. Sed secundo anno ministerii Christi jam quinque porticus extractæ erant, & magna multitudo ægrotorum ibi donum illud sanationis expectabant. De articulo igitur temporis quando cœperit, nihil constitui potest. Hoc verò apparet, non multò ante Christi tempora cœpisse. Et hæc observatio monstrabit, qualem Deus voluerit usum esse hujus admirandi doni sanationis. Donum enim prophetiæ & miraculorum ante annos plus 400. defierat, ut animi excitarentur, ad ardentiorum expectationem Prophetæ, qui promissus erat, Deut. 18. v. 15. & ad observationem signorum Messia, Esa. 31. v. 5. & 6. Quia verò postremis temporibus populus Judæorum non tantum patebat direptionibus & tyrannidi Ethnicorum, sed libertas ipsorum planè oppressa, imò extincta erat: ne igitur vel de promissionibus desperarent, vel totam religionem abjicerent, mirabile hoc donum sanationis statuit in illo loco ubi victimæ, quæ figuræ erant propitiatorii sacrificii Messia, lavabantur & præparabantur, ostendens, se posteritatem Abrahamæ & cultum à se institutum adhuc amare, ut ita firma expectatione usque ad Messia adventum sustentarentur. Et quidem in aqua turbata virtutem suam mirabiliter ostendit: significans, rebus maximè turbatis, salutem promissam se posse & velle præstare. Tunc autem, cùm in foribus esset adventus Messia, miraculum illud Angeli è cœlo descendens cœpit, ut commonefierent salutem è cœlo promissam jam appropinquare. Ideò extra templum donum illud sanationis fuit. Et non est dubium, Christum ideò porticus illas ingressum, edidisse ibi insigne illud, quod sequitur, miraculum, ut ostenderet, quid sibi Deus hoc dono sanationis voluerit, & quo deberet homines deducere. Ideò etiam per intervalla temporis, aqua fuit ita turbata, & semel non nisi unus sanabatur, ne resisterent in corporali illo beneficio, ut in ministerio Angeli: sed ut ad considerationem promissionum appropinquantis adventus Messia excitarentur. Augustinus textit Allegoriam: piscinam illam significare populum Judæorum conclusum quinque libris Moysi, hoc est, Lege, ubi decumbant tantum ægroti. Lex enim morbum ostendit, sed non sanat. Angelum verò magni consilii descendere è cœlo in illam piscinam & exinanitione sua aquam illam turbare. Quod verò unus tantum sanatur, hoc refert ad unitatem fidei & Ecclesiæ. Ita Augustinus. Chrysostomus sentit, Deum ita voluisse viam parare ad Baptismum Joannis & Christi. Aqua enim purificationis in lege tollebat immunditias Leviticæ. Jam verò aqua Bethesda sanat infirmitates corporum.

G g 3

Ut mox

Ut mox subsequeretur lavacrum regenerationis & renovationis. Ita Ambrosius etiam libr. 2. de Sacramentis, piscinam hanc de Baptismo allegoricè interpretatur.

Thomas disputat, aquas Bethesda accepisse virtutem sanandi ex ablutione victimarum, & Angelum ad monstrandam illam, aquæ sanctitatem descendisse. Sed non semper in piscina illa fuit hoc miraculum: & Evangelista indicat aquas illas non ex victimis, sed per ministerium turbationis Angelicæ virtutem illam accepisse.

Alii de ligno crucis in fundo piscinæ illius fossæ fabulantur.

Illam verò significatio propius convenit, quòd aqua Baptismi non simpliciter per se est lavacrum regenerationis: sed quando Spiritus sanctus descendens sanguine victimæ Christi eam turbat, ut verbo huius historiæ utar, tum sit lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. v. 5. Existimo autem historiam hanc plurimum posse illustrari, si conferatur ad caput 47. Ezechielis, ibi enim monstratur visio de aquis egredientibus è templo de quibus inquit v. 9. Sanabuntur & vivent omnia, ad quæ venerit torrens iste.

Aquæ igitur Bethesda circa templum, fuerunt commonefactio, fore ut visio illa Ezechielis propediem verè impleretur.

Descriptio verò miraculi, à Jesu in illo loco facti, & brevis & manifesta est. In porticibus enim illis, inter reliquos unus erat, qui 38. annos decubuerat. Genus morbi Evangelista generali appellatione describit, vocans *ἀσθενειαν*. Circumstantiæ verò ostendunt, qualis infirmitas fuerit. (Jesús enim vidit ipsum *κατακειμένον* decumbentem.) Item decumbens inquit: (Neminem habeo qui me mittat in aquam. Interim autem dum ego venio, alius ante me descendit.) Et quia inter ægrotos in porticibus illis decumbentes Joannes post cæcos, claudos & aridos numerat, censent quidam, hunc vel insigniter claudum vel aridum fuisse. *Ἐγὼ* enim tales esse intelliguntur, sicut Matth. 12. v. 10. homo quidam habuit manum aridam, quam extendere non potuit: & sicut 3. Reg. 13. v. 4. manus Jeroboam exaurit, quam retrahere non potuit. Amissio igitur motus significatur, sicut etiam exemplum, Zach. 11. v. 17. ostendit. Inde *ἔγκλιτος* quidam interpretantur tabe contractos vel mancos. Veteres non malè conjiciunt hoc loco morbum huius decumbentis fuisse paralytium. Non enim potuit consistere, non surgere, non incedere: & tamen inquit *ἐρχομαι* venio. Aliquid igitur, licet exiguum, de vi motiva in aliqua corporis parte reliquum fuit, quod ad descriptionem paralytici non malè convenit. Et Christus alibi in paralytici ostensurus factam integram restitutionem, inquit: Tolle grabbatum tuum, id quod huic etiam dicit. Vocabulum verò *ἀσθενειαν*, licet generale, tamen & hanc speciem morbi huius decumbentis significare potest: sicut Græci eo utuntur, 2. Paral. 28. v. 15. de illis quibus pedes ita debilitati erant, ut progredi non possent. Psal. 6. v. 3. vehementiorum habet significationem. Respondet enim verbo, quod significat excisionem virtutis seu virium, quòd propius huc quadrat.

Multa autem notabilia complectitur brevis hæc miraculi descriptio, quæ ordine paucis annota-

bimus. 1. Dulcis est descriptio, quòd filius Dei quando ut Dominator venit ad templum suum, Malach. 3. v. 1. & quidem quando concionaturus est de aequalitate sua cum patre, ipso sabbato ingreditur prius ut medicus quinque illas porticus, tanquam Nosocomium, ubi magna multitudo miserrimorum hominum, tristi spectaculo decumbebat. Membra enim eorum variis modis miserè deformata & perdita erant: sicut ex enumeratione Evangelistæ colligitur. Hæc dulcis pictura eò prodest: ne cogitemus Christum, quia aequali potentia & gloria regnat cum Patre, non curare nostras misérias, sed officium ejus ut Mediatoris esse in hoc mundo, tanquam in universali Nosocomio, miserè afflictos gratia & auxilio suo invisere. Sani enim non opus habent medico, sed ægroti.

2. Hoc verò Joannes peculiari studio annotavit, quòd cælestis hic Medicus ingressus Nosocomion, novit quanto tempore quisque laboravit: nec tantum speculative (ut sic loquar) novit, sed deploratum & maximè miserandum, cujus calamitas præcæteris & durior & diuturnior erat, accedit, Joannes enim peculiari phrasi utitur: (*Habens 38. annos in infirmitate.*) Habere enim tot annos descriptio est ætatis. Sed annos illos habere in infirmitate, idem est quod David inquit Ps. 31. v. 11. Vita mea in dolore, & anni mei in gemitibus. Conqueritur etiam paralyticus, se omnium ope destitutum. Et magna sanè inhumanitas fuit, quòd nec vulgus, nec Sacerdotum collegium misero huic, qui tot annis decubuerat, procurarint aliquem, qui ipsum in piscinam maturè deferret. Sed omissum hoc fuit forsitan idèò, quòd propter morbum diuturnitatem, de restitutione ejus desperarint. Et tristis est querela, quòd inquit: (*Si saltem haberem hominem, quims,*) si non portaret, si non duceret, saltem (*projiceret in piscinam.*) Nec sine gemitibus commemoravit, se sapius conatum reptare ad turbatam piscinam sed luisse operam: Et alios, qui prævenerunt, sanatos, qui nec tam diù, nec tam duriter decubuerant: ita singula verba habent peculiare *ἄσθενειαν*. Et consideretur, qualem argumentationem ratio humana texat, quando destituitur causis secundis: medicorum ope infirmitas non est curabilis: nec per donum hoc sanationis possum restituam, non enim habeo hominem, qui me deferat in piscinam: nec ipse possum descendere. Una (*ergo*) salus miseris, nullà sperare salutem. Sed Christus hoc miraculo ostendit, quando & ubi desinit auxilium humanū, tunc & ibi præsto esse & incipere divinum auxilium: juxta Philonis dictum. Ac ostendit suam bonitatem & misericordiam eorum maximè curam habere, quos hominū inhumanitas negligit, & pro deploratis habet. Porrò interrogatio Christi, cum inquit: (*Vs sanus fieri*) non hoc quærit, de quo nulla dubitatio erat. Idèò enim curaverat se in porticus illas deferri, ut sanaretur. Nec est sarcasmus, sed ut ipse desperatā vim morbi & humani auxilii inopiam exponeret, quòd ad miraculi commendationem faciebat, utq; ita & ipse, & circumstantes, & simul decumbentes excitarentur ad considerationem miraculi, ut scirent quo auctore fieret. Syrus reddidit, quòd æger domino respondeat: Etia Dominus: sed neminè hebeo, &c. Verùm Evangelista simpliciter describit querelam ægri; (*Domine neminem habeo, &c.*) in Christi

Christi enim verbis est valde pathetica, non tam interrogatio, quam vox commiserantis: Und du wilt auch gern gesund seyn? Svavissima est hæc consolatio pro illis, qui duiturnis & quasi incurabilibus morbis & calamitatibus premuntur. Ideo enim per tot annos detentus fuit infirmitate, ut gloria Christi illustrior redderetur ejus sanatione.

3. Est & hæc peculiaris observatio, quod in tanta decumbentium ibi multitudine unicum tantum sanavit, in Galilæa omne genus morbi Matth. 4. vers. 23. Capernaum omnes, qui adducebantur, sanavit, Matth. 8. v. 16. Potuisset igitur & nunc unico illo verbo, omnes, qui in porticibus illis decumbebant, sanitati restituere. Et nostro judicio debuisset hoc potius Hierosolymis quam in Galilæa facere. Zion enim, Hierusalem, & templum, loca sunt manifestationi regni Messia: in Prophetis deputata. Sed non tantum in hac, verum in tota Evangelica historia videmus, Christum studiosè hoc observasse: cum alibi signa ferme innumerable fecerit, quod Hierosolymis illustria quidem, sed rara & pauca ediderit. Idque sine dubio propter hanc causam factum est, ne resisterent in externis signis: aut ne cogitarent, beneficia Messia: sanitate corporum & aliis externis commoditatibus definiri & terminari; sed ut externa miracula essent analogia ad spirituale regnum Christi. Ideo in Galilæa & extra Hierosolymam valde multa fecit signa, quæ essent testimonium doctrinae, personæ & officii ipsius. Hierosolymis verò, ubi spirituale ipsius regnum debebat incoari & primum manifestari, non multa edidit signa: sed pulcherrimas & præcipuas conciones, complectentes doctrinam, quæ Evangelii propria est, habuit Hierosolymis: & ibi victima pro peccatis nostris factus, æternam redemptionem invenit. Hæc observatio valde multa utiliter monet. Generalis verò doctrina est; sicut tempore Elisæi multi erant leprosi, sed Naaman tantum sanatus. Et tempore famis multæ erant viduæ: Elias verò ad unam tantum divertit. Ita Christus non omnes in hoc Nofocomio sanavit: sed unum tantum, ut ostenderet, finem fidei non circumscribendum esse externis beneficiis hujus vitæ; sed beatitudinem, quam Messias affert, referendam esse ad aliam vitam. Si enim Christus omnes simul sanasset: illi, qui nunc morbis incurabilibus conficiantur cogitarent, sibi nullam in Messia spem esse. Ideo cum venisset omnes salvos facere, Hierosolymis in magna multitudine infirmorum unum tantum sanat: cum tamen ad Hierosolymam præcipue pertineat, quod inquit, Zach. 9. v. 9. Ecce, Rex tuus venit tibi Salvator.

Porro verba illa: (*Surge, tolle grabbatum, ambula, &c.*) supra in historia paralytici explicata sunt. Quod verò Johannes addit: (*Erat sabbatum illa die, &c.*) ex illis circumstantiis colligitur, ipsa prima die paschatis, quæ sanctissima & celeberrima erat hoc miraculum factum esse. Lucas enim cap. 6. v. 1. dicit, Christum ultima die festi profectum per sara discessisse Hierosolymis: sicut de sabbato secundo primo probavimus. Ergo quod Johannes inquit: (*Erat sabbatum illa die.*) Non potest de ordinario aliquo sabbato post festum paschatis intelligi: dicit enim in festo factum esse. Intermediis autem diebus inter primam & ultimam diem (nisi

Harm. Tom. I.

ordinarium septima die sabbatum incidere) aliquid licebat & operari & portare, Marc. 16. v. 2. Luc. 24. v. 1. Quia ergo quarunt occidere Christum, propterea, quod jussisset sanatum sarcinam lectuli sui illo die bajulare, rectè colligitur, fuisse tunc primam diem Paschatis: quæ sanctissima & celeberrima erat. Et quia dies ille sabbati magnus erat, sicut ait Johan. cap. 19. vers. 31. mirum videri posset, cur Christus jussisset sanatum sarcinam lectuli sui humeris levatam per plateas domum portare, cum non ignoraret, securam magnam Judæorum offensionem, imò exacerbationem. Assignantur autem ab interpretibus hæ rationes 1. ut ostenderet non esse præstigias, sed veram sanationem, & illam non incoatem, ut per intervalla, sicut in Medicina fit, perficiatur: sed statim illo momento, cum verbum dixisset, integram & absolutam esse. Non enim ambulat solum, verum etiam sarcinam lectuli sui portat, per satis longum locorum intervallum: quod paralytico, si sanatio tantum incoata, & non integrè absoluta & perfecta fuisset, impossibile esset. Hæc est Chrysoptomi ratio.

2. Ideo fecit, ut hæc ratione miraculum illud universæ multitudini, quæ undique ad festum convenerat, plenè innotesceret. Propter hanc enim causam, in ipsa porticu colloquium cum paralytico instituerat, ut nota esset omnibus & qualitas & diuturnitas morbi, & ratio sanationis. Quia verò in porticibus non aderat tota multitudo, ideo insolita gestatione oneris, in magno illo die sabbati, omnes qui in tota civitate aderant, excitat, ut percunctando ipsi, ex recens sanato eo, qui certissimus testis esse poterat, cognoscant de miraculo, quod factum fuerat. Quocumque enim per civitatem cum sarcina lectuli sui incedebat, cum ex omnibus locis magna multitudo ad festum convenisset, ex insolito spectaculo concursus fiebat, & ab obviis interrogatus, quare sabbato onus gestaret, sine dubio totum negotium, & infirmitatis suæ & sanationis, narravit. Jesus etiam ideo se ex turba, quæ in porticu interfuerat, cum miraculum illud ederet, subduxerat, sicut Johannes inquit, ut re ipsa ostenderet, se non affectare gloriam humanam & applausum vulgi: utque disputationes de miraculo & facto aliquo admirando, cujus auctor ignoratur, avidius & loquimur & disputamus, illæ per universam multitudinem spargerentur, sicut de facto. Sanatus enim modum miraculosum sanationis publicè ubique recitans, dicebat se auctorem non nosse, quis fuerit. Totum verò hoc factum est, ut animi hominum ardentius excitarentur ad insignem illam concionem, quam habiturus erat Christus. Utitur autem Joannes verbo ἐκένειν, quod in hac quidem significatione in communi lingua non admodum usitatum est. Græci verò interpretes sapius illud usurpant pro vertere se ex aliquo loco & declinare aliò, 4. Regum 23. vers. 16. Jud. 4. vers. 13. & 18. vers. 26. Et ad hanc significationem convenit, quod Plato deflexus & diverticula viarum vocat ἐκνεύσεις τῶν ὁδῶν. Constructio dupliciter potest intelligi (ἐκένειν secessit ὄχλος οὐτι, cum turba esset in illo loco:) ne Genitivi illi ponatur absolute: vel ut Genitivi illi regantur vi præpositionis ἐκ, cum quo verbum compositum est:

Gg 4

(desli-

(declinavit à turba, quæ erat in illo loco.) Syrus redidit; Occultavit se in turba.

3. Est & hæc una ratio, quòd Christus hac justificatione gestationis voluit occasionem quærere ad reprehendendas & refutandas superstitiones & falsas opiniones, de sanctificatione sabbati. Et observetur collatio. Antea in Capernaum rationem habuit rudiorum & infirmorum, qui sabbato ante occasum solis non audebant ægros suos adducere. Nunc verò, ubi cum Scribis & Phariseis pertinacibus res est, facit id, quod absque periculo omittere tunc, aut saltem differre potuisset, ut exemplum libertatis ostendat, & occasionem habeat edendi confessionem, quòd superstitiones & pravæ ipsorum opiniones de sanctificatione sabbati non probet: sicut pluribus postea exemplis Christus hoc ostendit, & in historia Lucae 13. v. 11. plura de hac observatione dicemus.

Inde verò prima concertatio de sabbato inter Jesum & Judæos oritur: & quòd magis ex invidia & malitia moveantur, quàm ex vero pietatis zelo, circumstantiæ historiæ ostendunt. Primò enim videntes sanatum gestare sarcinam simpliciter admonendi gratia dicunt: (*Sabbatum est, non licet tibi portare grabbatum.*) Cùm verò audirent narrationem miraculi, quodque sanatus gestationem grabbati ad auctoritatem illius verbi, cujus divinam virtutem in sanatione senserat, referret: dicit enim, (*qui me sanum fecit, is mihi dixit: Tolle grabbatum, &c.*) Respondebant igitur: (*Quis vel qualis est ille homo, qui in Sabbato dixit: Tolle grabbatum.*) Quæ verba si accipiuntur, ut à vulgo dicta, possunt ita accipi, quòd bono & pio studio voluerint cognoscere illum, cujus verbi tanta esset vis & efficacia, quòd hominem à diuturno & deplorato morbo uno statim momento integræ sanitati restituisset. Si verò accipiuntur ut Phariseorum verba, ingenium calumniæ describitur: quòd audito tanto sanationis miraculo non gratulantur sanato, non glorificant Deum, non suspiciunt auctorem miraculi: sed illud tantum in eo facto arripunt, quòd calumniam parare poterat, utque auctorem miraculi persequi possent, quærunt: (*Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabbatum & ambula?*) Hoc est, homo ille non potest divinus propheta esse, quia Sabbatum violat. Sanatus verò respondit: (*Se non novisse, quis esset.*) Notabile hoc exemplum est. Paralyticus ipse fateretur se non novisse Jesum. Non potuit ergo vera fide ab ipso petere beneficium sanationis; sicut etiam verba ipsius querelam non petitionem præ se ferunt: & tamen restituitur. Ita multa beneficia corporalia sæpe impiis & non credentibus, sæpe piis non etiam petentibus, à Deo conferuntur.

Jesus verò sanatum postea in templo invenit: sine dubio orantem, ac Deo pro recuperata sanitate gratias agentem. Cumque vellet non miraculum tantum cognitum esse: sed & miraculi auctorem manifestari, denuò allocutus est ipsum, & quidem hujusmodi verbis, quibus ostendit, cujus corpus sanaverat, ejus etiam animam salvare se velle, docens corporalia beneficia sanitatis & alia, ita esse accipienda & usurpanda, ut sint ἀναγωγὴν ad conversionem & salvationem animæ, ut ita non pars tantum, sed totus homo salvus fiat. Dicit igitur: (*Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, &c.*)

Inde verò sanatus agnoscit Jesum esse, à quo sanus esset factus. Et gradus fidei seu conversionis in hoc paralytico observandi sunt. Primò enim dicit, se hoc agnovisse, cùm solo verbo statim sanaretur, esse medicum illum plus quàm vulgarem hominem. Et quid verbo ipsius deferat, ostendit, cùm inquit: Scio sabbatis hoc non decere, ut lecticam portem, sed quia ille, qui me sanavit, eodem verbo, cujus virtutem in sanatione expertus eram, dixit: (*Tolle lectum tuum, &c.*) non potui refragari. Ubi & hoc notetur: Paralyticum hunc reverenter accepisse non tantum illud verbum, quo sanitas sibi conferebatur, sed & obedienter accepisse, illud Christi verbum, quo jubebatur ambulare. Nos verò Evangelii verbum, quo gratia & salus confertur, libenter accipimus: verbum autem, quo jubemur in novitate vitæ ambulare, negligimus. Ita primus ergò gradus est, quòd hic paralyticus per miraculum deducitur ad reverentiam verbi: deinde progreditur ad agnitionem personæ Jesu, sicut textus inquit; postremo ore confitetur, quòd corde credebatur. Nomen enim Jesu deserit, (*ad Judæos*) qua appellatione non promiscuum vulgus intelligitur, sed primores Judæorum, sicut & Joan. 1. v. 19. non animo proditorio, sed ut sua confessione & celebratione ipsos ad agnitionem Jesu invitet. Ostendit itaque Christus pulcherrimam regulam & rationem: quomodo externa corporalia beneficia referenda sint ad poenitentiam, fidem & novam obedientiam. Nam post sanatum corpus, concionatur ipsi de sananda, prætervanda & tuenda valetudine animæ. Et diligenter notandum est, quòd additur: si non hoc modo usus fueris accepto beneficio, non tantum non proderit tibi, sed deterius quid tibi accidet.

Peculiariter verò notanda est regula de morbis & de liberatione ex morbis. Quia enim dicit: (*Noli amplius peccare.*) ostendit morbos esse pœnas monitricas de peccatis, & ideo immitti ne amplius peccemus, sed ut hamo & freno illo ex cursu peccatorum revocemur. Deinde observandum est, quòd tunc, cum sanatum in templo gratiarum actionis ergò versantem inveniret, monet ne amplius peccet. Indicat enim, vulgare hoc esse vitium, quòd in morbis Deo multa voverunt, in recenti liberatione quædam præstentur: sed mox oblivione omnia deantur, ut post restitutionem peiores fiant, quàm ante morbum fuerant, sicut & Germanicum proverbium testatur: *Da der Hean die genas / je ärger er nie was.* Christus verò severam opponit comminationem, fore, si liberatione abutatur ad peccandum, ut (*deterius aliquid ipsi accidat.*) Syrus addit Deterius aliquid quàm prius. Illud verò duobus modis intelligi potest: vel de pœna aliqua corporis duriori & tristiori. Et hæc explicatio ostendit quæ causa sit, quòd, sicut Seneca inquit, finis alterius mali gradus est futuri: Item, cur post liberationem pœnæ crecant. Notetur etiam quòd hujus paralytici morbus putabatur esse in summo gradu: tamen Christus dicit, posse deterius aliquid accidere. Quia verò multis, qui post liberationem peiores sunt, non accidit deterius aliqua pœna corporis: intelligi potest (*deterius*) hoc de ira & judicio ad traditionem in sensum reprobum, ad majorem æternam animæ & corporis damnationem. Ratio exponitur Rom.

Rom. 2. v. 4. & 5. Benignitas Dei per hujusmodi beneficia ad poenitentiam te invitat. Tu vero, secundum cor tuum durum & impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae. Gravius ergo & periculosius est peccatum, post acceptam liberationem Deum offendere. Consideretur autem ordo verborum. In medio ponit admonitionem: (Noli amplius peccare.) Utriusque autem addit causas motivas: à fronte collocat consideratio-

nem collati beneficii (Ecce sanus factus es:) à tergo addit comminationem; (Ne quid deterius tibi accidat.) Hoc modo utrinque post accepta beneficia, reprimenda est securitas, & excitandus animus ad veram gratitudinem, quæ in eo consistit, ut accepti beneficii memores Deum liberatorem tota vita colamus. Hæ regulæ copiosa oratione ad vitam communem possunt accommodari; sed nos tantum fontes monstramus.

CAPUT XLVI.

CONTINENS HISTORIAM PRIMÆ CONCERTATIONIS JESU CUM JUDÆIS DE SABBATO: ET HABITAM EA OCCASIONE HIERSOLYMNIS INSIGNEM ILLAM CONCIONEM, JOAN. 5.

RATIO ORDINIS.

TOTUM quintum caput Johannis coherere, & præcedentia occasionem præbuisse ad sequentia, contextus Johannis manifestè ostendit. Ex reliquis etiam Evangelistis, inter continuam quinti capitis apud Johannem historiam, nihil interferi posse collatio historiarum manifestè ostendit. Præcedentibus igitur ea quæ apud Johannem sequuntur, bono ac vero ordine subjungi, certum est. Et primo

die Paschatis factam esse sanationem ægroti & gestationem grabbati certum est. Quod verò Johannes addit (Posthac invenit Jesus sanatum in templo, &c.) id videtur secunda die Paschatis factum. Reliqua igitur, de concertatione Judæorum cum Christo, de sabbato, & de sequente concione, vel secunda illa die, vel sequentibus aliis intermediis Paschatis diebus facta sunt.

HISTORIA PRIMÆ CONCERTATIONIS JESU CUM JUDÆIS DE SABBATO: ET INSIGNIS ILLIUS CONCIONIS QUAM IN SECUNDO PASCHATE HIERSOLYMNIS HABUIT, JOHAN. 5.

- 16. Καὶ διὰ τὸ ἐδίωκον τὸν Ἰησοῦν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἐζήτην αὐτὸν ἀποκτείνειν, ὅτι ταῦτα ἐποίησεν ἐν σαββάτῳ.
- 16. Ac propterea persequantur Judei Jesum, & quærebant illum occidere, quod ista fecisset in sabbato.
- 17. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπεκρίθη αὐτοῖς. ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, καὶ γὰρ ἐργάζομαι.
- 17. Jesus autem respondit eis: Pater meus ad hoc usque temporis operatur, & ego operor.
- 18. Διὰ τὸ ἔν μακρὸν ἐζήτην αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτείνειν. ὅτι ἢ μόνον ἔλεγε τὸ σαββάτων. ἀλλὰ καὶ πατέρα ἰδίου ἐλεγε τὸν Θεόν. Ἰσὺν ἑαυτοῦ ποιεῖν τῷ Θεῷ.
- 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judei interficere, quia non solum solvisset sabbatum: sed & Patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo.
- 19. Ἀπεκρίθη δὲ ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἢ δύναται ὁ υἱὸς ποιῆσαι ὅσα ὁ πατὴρ ἔδεν, ἐὰν μὴ τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιεῖν. ἀ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποίῃ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποίῃ.
- 19. Respondit itaque Jesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quid viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit.
- 20. Ὁ γὰρ πατήρ φιλεῖ τὸν υἱόν, καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποίει, καὶ μείζονα τῶν δειξάντων αὐτῷ ἔργα, ἵνα ὑμεῖς θαυμάσητε.
- 20. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.
- 21. Ὅπως γὰρ ὁ πατήρ ἐγείρη τὸς νεκροὺς, καὶ ζωοποιῇ. ἕως καὶ ὁ υἱὸς ὅς θεὸς ζωοποιῇ.
- 21. Sicut enim Pater suscitavit mortuos, & vivificat; sic & filius quos vult vivificat.
- 22. Οὐδὲ γὰρ ὁ πατήρ κρίνει ἀέναντος, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ.
- 22. Neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio.
- 23. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱόν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱόν, ἢ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν πέμψαντά αὐτόν.
- 23. Ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem: qui non honorat filium, non honorat Patrem, qui misit illum.
- 24. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβήσκειν ἐκ θανάτου εἰς ζωὴν.
- 24. Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non venit, sed transibit à morte in vitam.
- 25. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστίν, ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται.
- 25. Amen, amen dico vobis, quod veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent.
- 26. Ὅπως γὰρ ὁ πατήρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, ἕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἑαυτῷ.
- 26. Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.

27. Καὶ